



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.35. Sessio quinta. Conferuntur Iconoclastæ cum Hæreticis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

§. XXXV.

Sæcul. VIII.

A. C. 787.

*Sessio quinta. Conferuntur Iconoclastæ
cum Hæreticis.*

Sessio quinta post triduum nempe quarto Octobr. anno 787. celebrata. Tarasius Patriarcha dixit: *Novatores, cum Imagines abolere cuperent, imitati sunt Judæos, Saracenos, Paganos, Samaritanos, Manichæos, Phantasmaticos, seu Theopaschitas, ut ex lectione librorum, quos hic videtis, patefiet.* Primo lectus est Textus S. Cyrilli Jerosolymitani, ubi inter scelera a Nabuchodonosore admisa recenset, quod *Cberubim* ex Arca abstulerit. Secundo lecta est Epistola S. Simeonis Stylitæ junioris ad Imperatorem Justinum Junioem data contra Samaritanos, quia Imagines violaverant. Quo audito Constantinus Cyprensis dixit: *Iconoclastæ Samaritis pejores sunt, quos videlicet ignorantia, sicut hos Infideles, non excusat.*

p. 346.

p. 347.

p. 350.

Lectus deinde est Textus Joannis Episcopi Theffalonicensis, ubi Gentilem inducit loquentem in hunc modum: *Vos vero, Christiani, an non in Ecclesiis Sanctorum vestrorum Imagines pingitis, an non adoratis? imo non solum imagines Sanctorum, sed etiam Dei vestri? ita nos quoque Statuas adoramus, non propter ipsas Statuas, sed ut Virtutes incor-*

Hist. Eccles. Tom. X.

Hh

po-

Sæcul. VIII.

A. C. 787.

4. Octobr.

poreas nobis reddamus placabiles. Ad hæc Vir Sanctus respondet: *Facimus Imagines Servorum Dei, eosque tales exhibemus, quales fuerunt; vos vero formas fingitis rerum, quæ corpus non bibent. Nec Imagines adoramus, sed Personas, quæ representantur; rursusque non adoramus tanquam Deos, absit! sed tanquam Servos & Amicos Dei, qui gratia apud Deum valent, & pro nobis orant. Dei quoque Imagines facimus, id est, Jesu Christi, non quatenus Deus est, nam Deus Spiritus est sine omni figura; sed postquam pro nobis factus est homo, ipsius Humanitatem pingimus. Demus id vobis, inquit Gentilis, quomodo autem excusabitis, quod Angelos veluti homines depingitis? Inter alia respondet Vir Sanctus: *Angelos in specie humana representamus, quia sæpe illis, ad quos a Deo missi sunt, sub specie virili apparuerunt.**

Porro lecta sunt excerpta cujusdam Judæi disputantis adversus Christianum &, quamvis jam conversus esset, dicens, scandalo sibi esse, quod Christiani adorando Imagines Scripturæ præceptum violent. Christianus respondet: *Scriptura nobis prohibet, ne Deum novum adoremus, aut simulacrum, tanquam Deum. Ceterum Imagines, quas inter nos vides, memoriam Incarnationis Jesu Christi conservant, nobisque ejus vultum ostendunt.*

dunt. *Imagines Sanctorum nobis eorum* Sæcul. VIII.
contra Dæmonem certamina & Victorias A. C. 787.
 exhibent. Dum Sanctos adoramus, Deum
 invocamus, & dicimus: *Benedictus sis*
Domine Deus hujus Sancti & omnium
Sanctorum, qui dedisti eis virtutem pa-
tentiæ, & dignos Cives Regni tui effe-
cisti, da ut gloriæ eorum fiamus partici-
pes, & salva nos per eorum Intercessio-
nem. Ceterum ipse Moyses Anaglypha,
scilicet duos Cherubim Arcaë, & Serpen-
tem æneum fabricari jussit.

Lectus est etiam Textus ex Libro p. 358.
 quodam apocrypho, cui titulus: *Itine-*
ra Apostolorum. In eo narratur aliquis
 Nicomedes nomine imaginem S. Joan- Sessio quinta
 nis se jubente depictam in suo cubiculo
 collocasse, eandem coronasse floribus,
 atque ante eam Altaria & Lucernas po-
 suisse, quod S. Joanni minime probatum
 fuisset, tanquam Idololatriæ vestigium.
 Ibidem inducebatur S. Joannes dicens, p. 359.
 Jesum Christum non habuisse verum cor-
 pus, eumque illo temporis spatio, quo
 Judæi ipsum e Cruce pendentem cerne-
 re sibi videbantur, omnis figuræ exper-
 tem supra Crucem e luce purissima for-
 matam extitisse.

Conjectura est, eundem esse librum, *Ap. Athan.*
 qui in Synopsi S. Athanasio adscripta, to. 2. p. 202.
Itinera S. Joannis, vocatur. Hunc ve-
 ro sacra Synodus utpote Evangelio con-

Hh 2 trarium

Sæcul. VIII. trarium cum horrore rejecit. Constantinus Cyprensis dixit: *Pseudo-Synodus falsam Doctrinam ex hoc libro hausit.* Et Gregorius Neocæsariensis addidit: *In eo historia Lycomedis narrabatur.*

A. C. 787.

p. 262.

Sup. n. 32.

Conc. p. 230.

p. 366.

p. 367.

4. Octobr.

p. 370.

Sup. Lib.

XXX. §. 18.

L. XXXI.

§. 39.

Conc. p. 371.

Tum Petronax Imperatoris Mandatarius interrogavit, an in Conciliabulo ipsi Libri lecti fuissent, atque Gregorio Neocæsariensi & Theodosio Amoriensi respondentibus, & Deum testem invocantibus, aliqua solummodo ex foliis separatis fuisse recitata, Sacra Synodus prohibuit, ne quis fictitium istud Itinerarium Apostolorum describeret, sed flammis tradi iussit.

Tum Tarasius Patriarcha dixit: *Imaginum hostes adduxerunt testimonium Eusebii ex Epistola ipsius ad Constantiam Licinii uxorem. Videamus ergo, quid Eusebius sentiat.* Lecti sunt textus Eusebii Pamphili, in quibus Arium olet. Item locus Antipatri Episcopi Bostrensis, ubi concedit, Eusebium fuisse Virum ex plurimorum librorum lectione eruditissimum, sed in Dogmate vacillasse. Lecti sunt duo Textus ex Historia ad Xenajam Iconoclastam pertinente, qui inter alia dicebat, Columbam illam, qua Spiritus Sanctus repræsentatur, Idolum esse & inventum puerile, in hoc Articulo sicut & in ceteris Severo Acephalorum Principi consentiens. Ad hæc Tarasius

raſius Adnotationem ſubjunxit: *Si Pa-* Sæcul. VIII.
tres noſtri pium judicarunt, Columbas A. C. 787.
pingere ad exhibendum Spiritum San-
ctum, quanto magis licebit pingere Ima-
ginem Verbi Incarnati, quod in terra
apparuit?

Constantinus Diaconus dixit: *Cum*
primum Theſauro Magnæ Eccleſiæ Con-
ſtantinopolitanæ præfectus fui, commen-
tario diligenter perlecto deprebendi, duos
Libros deſiderari, imaginibus argenteis
ornatos. Inquirenti, in quorum manus
deveniſſent, reſponſum, ab Hæreticis fuiſ-
ſe combuſtos. Inveni alium Constantini Iconoclaſtæ.
Tabularum Cuſtodis librum, ubi mate-
riam de Sanctis Imaginibus tractat, unde
folia, in quibus Cultus Imaginum com-
mendabatur, exciderunt. Simul librum
aperit, & lacerata folia oſtendit. Leon- p. 374.
tius Notarius Patres monuit, ut adver-
terent, Iconoclaſtas peperciſſe hujus Li-
brī tegmini, compacto ex laminis argen-
teis, quas multæ Sanctorum Imagines
*ornabant, dixitque: *Scriptione deſtructa**
*rem ipſam reliquerunt intactam. *Quan-**
ta hominum inſania! Leo Episcopus
*Phoceenſis dixit: *In Civitate noſtra Ico-**
num hoſtes plusquam triginta volumina
igni tradiderunt. Nihilominus lectus
eſt aliquis locus Constantini Tabulis
præfecti contra Iconoclaſtas, nam quæ-
dam alia hujus Operis exemplaria fue-

Sæcul. VIII. rant ab interitu vindicata. Alius Dia-
 A. C. 787. conus nomine Cosmas dixit: *Invenimus
 in Palatio Patriarchali Volumen Vete-
 ris Testamenti cum Scholiis; unum vero,
 quod ad stabiliendum Imaginum Cultum
 scriptum erat, deleverunt, ita tamen, ut
 adhuc aliquantulum appareat.* Ecce
 simul libro aperto omnibus fraudem o-

Exod. 20. 3. stendit. Legit deinde scholium, quod
 in locum Idola prohibentem scriptum
 erat. Dixitque Tarasius: *Hæc fraus
 fuit Antipatriarcharum Hæreticorum*

p. 378. *Anastasio, Constantini, & Nicetæ.* Dia-

4. Octobr. conus Cosmas subjunxit: *Nos istud Vo-
 lumen invenimus in Sacratio Oratorii
 Palatii Patriarchalis, multorum Marty-
 rum Acta, atque etiam Tractatum de
 Imagine Camulianorum, miraculis clara,
 comprehendens. Folia autem, quæ de hac
 Imagine tractabant, excisa sunt. Ecce
 volumen omnibus ostendo.* Stephanus
 Monachus exhibuit aliud volumen, cum
 lituris in duabus paginis. Visebantur
 hæ lituræ in illo loco Historiæ Ecclesi-
 sticæ Evagrii, ubi Jesu Christi Imaginem
 Edeffam ad Abgarum missam memo-
 rat, lectusque est hic locus in alio exem-
 plari.

Evagr. IV.
 hist. c. 26.

p. 382. Lecti tandem sunt aliquot Textus
 ex Prato spirituali, cumque Stephanus
 Monachus Excerpta ex quindecim aliis
 voluminibus legenda offerret, judicavit
 Sacra

Sacra Synodus, ea sufficere, quæ lecta fuerant. Tarasius autem subjunxit: *In Lectionibus præcedentibus indicatum est, Hebræos, Gentiles, Samaritas, Manichæos & Phantasiastas ausos fuisse Ecclesiam ob Cultum venerabilium Imaginum in culpam trahere; modo autem æquum est, audire Fratrem nostrum Joannem Legatum Orientis; habet enim quædam de origine subversionis Imaginum.* Tum Joannes legit ex Charta Historiam de Judæo Sarantapechy, qui Califæ Ezido persuasit, ut Imagines subverteret, sicut suo loco narravimus.

His perlectis Episcopus Messinensis dixit: *Et ego puerulus eram in Syria, quando Saracenorum Princeps Imagines subvertit.*

Sabas Præses Studii dixit: *Petimus, ut pro more Imagines suis in locis restituantur, & cum populus inter preces publicas procedit, portentur.* Sacra Synodo hæc approbante Petrus Archipresbyter Legatus Papæ Chartam (*) legit,

Hh 4

pete-

(*) Observatu dignum hic est, quod in hac Charta, quam Petrus Summi Pontificis Legatus legit, Patriarchæ Constantinopolitano titulus Patriarchæ Universalis tribuebatur; ita enim verba sonant in Versione altera Synodi Oecumenicæ VII. Tomo IV. Edit. Parisiensis. *Petrus devo-*

devo-

Sæcul. VIII.
A. C. 787.

p. 383.

Concil. VII.

p. 386.

Sup. Lib.
XLI. §. 41.

p. 387.

Sæcul. VIII. petebatque a Sacra Synodo, ut in me-
 A. C. 787. dium veneranda Imago afferretur, eam-
 que omnes salutarent. Deinde, ut om-
 nia, quæ scripta essent adversus Sacras
 Imagines, igni manciparentur. Respon-
 dit Sacra Synodus: *Veniat Sacra Imago.*
Fiat! ita, postquam Patres sæpius
 de more proclamassent, Actio quinta so-
 luta est.

§. XXXVI.

*Sessio sexta. Concilium Constantino-
 politanum refellitur.*

Sexta Sessione biduo post quintam ha-
 bita nihil aliud actum, quam quod
 Refutatio Fidei Definitionis in Concilia-
 bulo Iconoclastarum Constantinopoli an-
 no 754. editæ lecta fuerit. Hæc Refu-
 tatio dividebatur in sex Tomos. Joannes

6. Octobr.

devotissimus Presbyter, locum retinens Sanctissimi Papæ Romani, e Charta legit: Tarasio Sanctissimo Archiepiscopo Constantinopoleos novæ Romæ, & universali Patriarchæ, & omni Sacræ Universali Synodo Petrus Primas Presbyterorum Sanctissimæ Ecclesiæ Sancti & omnibus Sæculis celebrati Petri Apostoli, & Petrus Presbyter & Præses S. Sabæ, ambo Vicarii Hadriani Sanctissimi Papæ veteris Romæ, Justum censemus &c.

Nempe amoris pacis & Ecclesiarum concordia, aliquid dandum fuit.